

relinquit arbitrio ordinarii, quod certe cognito malitiosi impedimenti periculo, aliter, quam per dispensationem non declinabili dispensare possit, vel non; sed tantum relinquit eidem judicare et arbitrari, an reverale periculum subsit, et alia, quam dispensationis via, amoveri nequeat. Palao, loc. cit., n. 2. (ADNOTATIO LXXII.)

48. Post denuntiationes factas tenentur sponsi vel intra quatuor menses contrahere, vel procurare novas denuntiationes. — Quæritur IV. Quem effectum habeant, et qualiter denuntiationes obligent tam populum audientem ad manifestanda impedimenta, quam sponsos ad nubendum? Resp. I. Denuntiationes semel factae obligant sponsos, ut vel intra quatuor menses contrahant, vel de novo denuntiationes fieri patientur. Barbosa, *de Offic. et potest. episc. Allegat.* 32. n. 53. Bonacina, *de Matrim.* q. 4, pun. 6, n. 1, ¶. Quarto, cum aliis: et ita decisum refert Rebell. p. 2, lib. IV, in *Declarat. illust. cardin.* sect. 2, n. 8, merito, quia facile contingenere posset, ut interea novum impedimentum interveniret.

49. Post factas denuntiationes tenetur quivis manifestare impedimentum, si quod subesse scit: et quomodo? — Resp. II. Post factas denuntiationes quivis graviter tenetur manifestare impedimentum, si quod sit inter contrahentes volentes, etiamsi solus sciat; dummodo absque gravi suo incommodo, aut præjudicio id facere possit. Palao, loc. cit., § 6. n. 5; Gutierrez, *de Matrim.* cap. LIX, n. 9; Sanchez, lib. III, disp. 13, n. 12; Covarruvias, *de Sponsal.* p. 2, cap. vi, § 10, n. 21; Navarrus, in *Manual.* cap. XXII, 83; Bosco, loc. cit., concl. 9, eum communiori aliorum contra Pontium, lib. V, cap. XXXIV. Ratio est, quia quivis tenetur avertere ruinam spiritualem, et grave peccatum alterius, atque irreverentiam sacramenti, si commode et absque sui præjudicio potest, sed in casu nostro potest, ut supponitur: revelando enim impedimentum facit, quod alii contrahendo graviter non peccent, et ne gravis irreverentia irrogetur sacramento, quod alias feret; ergo.

Procedit conclusio, licet sub secreto naturali, etiam juramento firmato, illud sciat, Sanchez, loc. cit., n. 5; Bosco, loc. cit., n. 274 et seqq. Aversa, q. 7, sect. 4, citans communem, et alii contra Gutierrez, lib. I, Canon. qq. cap. xi, n. 27. Ratio est, quia juxta universalem Regulam apud D. Tho-

mam, 2, 2, q. 70, a. 4, ad secundum, quem teste Sanchez omnes sequuntur, secretum non obligat cum præjudicio tertii, sed potius manifestari debet, ubi si non manifestatur, vergit in damnum publicum aut præjudicium tertii.

Nec refert, quod quis illud sub secreto, aut sigillo confessionis, ex lege tamen confessionis sacramentum, acceperit, Sanchez, loc. cit., n. 6; Bosco, loc. cit., n. 275, quia secretum sub sigillo confessionis commissum, nisi in confessione sacramentali fiat, plus non, quam secretum naturale obligat, Sanchez, loc. cit., n. 6; Bosco, loc. cit., n. 275; Innocentius, in c. *Omnis utriusque de Pœnit. et Remiss.* n. 7, et ibi Abbas, n. 25; Navarrus, in *Manual.* cap. XVIII, n. 55; Sylvester, ¶. *Confessio.* 3. q. 5, ¶. *Quarto,* et alii plurimi a Sanchez citati, extendentes doctrinam suam ad casum, quo quis flexis genibus, et facto signo crucis ad modum confitentis secretum sub confessionis sigillo committit, quia, nisi confiteatur sacramentaliter, secretum sacramentale non est, uti cum Navarro bene observant Sanchez, loc. cit.; Bosco, loc. cit.; Cajetanus, Scotus, et alii apud Navarrum, loc. cit.

Debet autem denuntians occultum impedimentum, servare ordinem præscriptum supra n. 318. quem etiam observandum esse, docet Sanchez, loc. cit., n. 3; Palao, loc. cit., n. 5 et alii.

Porro dicitur notanter in conclusione, « dummodo absque gravi suo incommodo, aut præjudicio id facere possit; » quia juxta communem theologorum, charitas non obligat magno cum damno proprio avertere alterius damnum, sive spirituale, sive aliud. Palao, loc. cit.; Pontius, lib. V, cap. XXXIV, n. 2; Gutierrez, *de Matrim.* cap. XLIX, n. 4, cum communi aliorum.

50. Pœna sine denuntiationibus contrahentium. — Quæritur V. Quæ sint pœnae contrahentium matrimonium, et assistentium eidem non præmissis denuntiationibus? Resp. I. Pœna contrahentium sine denuntiationibus est primo, quod licet alias ex ignorantia nulliter contrahentium proles sint legitimæ, c. *Ex tenore.* 14: « Qui filii sint legitimi, » tamen si qui sine denuntiationibus cum impedimento dirimenter contrahunt, proles procreatae sint illegitimæ, etiamsi dicant, se impedimentum ignorasse, c. fin. § *Si quis.* h. t. ibi: « Si quis vero hujusmodi clandestina, vel interdicta conju-

gia inire præsumperit in gradu prohibito etiam ignoranter, soboles de tali conjunctione suscepta prorsus illegitima censeatur, de parentum ignorantia nullum habitura subsidium. » Ratio ibidem redditur, quia affectatam ignorantiam parentes habuisse, præsumitur.

Secunda pœna est, quod eis sit adempta spes impetranda dispensationis super tali impedimento, concilium Tridentinum, sess. 24. *de Reform. matrim.* cap. v. Ratio ibidem redditur illis verbis: « Non enim dignus est, qui ecclesiæ benitatem facile expeririatur, cujus salubria præcepta temere contemptit. »

Tertia: « insuper his, qui taliter (id est sine denuntiationibus) etiam in gradu concessa copulari præsumunt, condigna pœnitentia injungatur. »

51. Pœnae assistentis parochi. — Resp. II. « Si parochialis sacerdos conjunctiones (id est clandestina matrimonia) prohibere contempserit, aut quilibet etiam regularis, qui eis præsumperit interesse, per triennium ab officio suspendatur, gravius puniendus, si culpe qualitas exegerit: sunt verba concilii Tridentini, cit., sess. 24. *de Reform. matrim.* cap. i. » Circa quæ tamen adverendum, hanc poenam non esse latæ sed ferendæ sententiæ, uti cum aliis bene advertit Sanchez, lib. III, disp. 48, n. 2, patetque ex verbo textus, suspendatur. (ADNOTATIO LXXIII.)

§ II.

DE NECESSARIA AD MATRIMONIUM PRÆSENTIA PAROCHI, ET TESTIUM: AC DE CLANDESTINO MATRIMONIO OB DEFECTUM EORUM; UBI ETIAM DE MATRIMONIO VAGORUM, ET MILITUM.

Constat ex dictis supra num. 2. alteram speciem clandestini matrimonii esse, si contrahatur sine præsentia parochi et testium. Hinc.

52. Ad licite contrahendum matrimonium utroque jure requiritur præsentia parochi, et testum. — Quæritur I. Quomodo de jure tam antiquo, quam novo ad matrimonium requiratur præsentia parochi et testum? Resp. I. Ad licite contrahendum matrimonium utroque, antiquo nempe et novo Trident. jure requiritur præsentia parochi et testum. Carter controversia. Et quidem de jure antiquo

expresse patet can. 1, 2, 3 et 5, caus. 30, q. 3, ubi requiritur, et præcipitur, ut sponsi non conjugantur, nisi a paronymphis, ut parentibus, vel propinquis sacerdoti, utique parochiali, benedicendi offerantur, consequenter in præsentia parochi et testium contrahant. De jure novo constat ex concilio Tridentino, sess. 24, *de Reform. matrim.* cap. i, princ. ibi: « Tametsi dubitandum non est, clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata, et vera esse matrimonia, quandiu ecclesia, ea irrita non fecit, et proinde jure damnandi sint illi, ut eos s. synodus anathemate damnat, qui ea vera et rata esse, negant: Nihilominus s. Dei ecclesia ex justissimis causis, illa semper detestata est, et prohibuit. »

53. Ad valorem vero ejusdem jure antiquo non requiritur. — Resp. II. Quamvis jure antiquo ad valorem matrimonii necessaria non fuerit præsentia parochi, et testium, consequenter matrimonium ex hujus defectu clandestinum, validum fuerit, tamen hodie etiam ad valorem requiritur, adeoque nullum ac irritum est matrimonium ex defectu præsentiae parochi et testium clandestinum. Et quidem quod de jure antiquo ad valorem non fuerit requisita, clare patet, tum ex textu concilii Tridentini num. præced. allegato. Tum ex c. i et II, h. t. cum concordantiis.

54. Bene autem de jure novo. — Quod autem de facto jure novo etiam ad valorem requiratur, clare statutum habetur cit. concil. Trident., sess. 24, *de Reform. matrim.* cap. i, ibi: « Qui aliter quam præsente parocho, vel alio sacerdote de ipsius parochi seu ordinarii licentia, et duodus, vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos s. synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit: et hujusmodi contractus irritos, et nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto, irritos facit, et annulat. » Rationem hujus irritationis premittunt ipsum concilium, loc. cit., videlicet gravia peccata, quæ ex eisdem clandestinis conjugiis ortum habent: præsertim vero eorum, qui in statu damnationis permanent, dum priore uxore, cum qua clam contrixerant, relicta, cum alia palam contrahunt, et cum ea in perpetuo adulterio vivunt. Licet enim matrimonia summe clandestina, et nemine præsente contracta, coram Deo fuerint valida, tamen in foro requirebatur probatio vel per ipsorum conjugum confessionem, vel aliunde lucienda, c. i, h. t, consequenter si

unus, vel uerque negabat, et probatio alia defecerat, in foro externo impuniti discedebant, etsi summe rei coram Deo, e. II, h. t.

55. *Ad valorem requiritur proprius.* — Quæritur II. Cujusnam parochi praesentia requiratur ad valorem matrimonii? Resp. I. Ad valorem matrimonii requiritur et sufficit alterutrius sponsi proprius parochus domicili habitacionis, vel quasi talis, non item parochus originis. Conclusio habet plures partes, quarum prima, quod videlicet requiratur parochus, est unanimis ob claram dispositionem concilii Tridentini, loc. cit., ibi: Qui aliter quam præsente parocho, utique proprio, ut liquet ex præcedenti textu: ibi: a proprio contrahentium parocho. Cujus nomine etiam vicarii perpetui, sicut etiam beneficiati curati, subditos parochianos pro foro pœnitentiali habentes, intelliguntur per dicenda infra.

56. *Alterutrius sponsi.* — Secunda pars, quod alterutrius sponsi proprius parochus sufficiat, docetura Sanchez, lib. III, disp. 19, n. 4; Bosco, de Matrim., disp. 11, sect. 9, concl. 13; Gutierrez, de Matrim., cap. LXII, n. 4; Navarro, in Manual., cap. xxv. in fine; Pirhing, h. t. n. 13, cum communi et certa aliorum: Estque declaratum a Sacra congregazione teste Sanchez et Bosco, loc. cit. Ratio est, quia contractus matrimonialis est individuus, et non nisi inter duos consistere potest; consequenter si quis ut parochus proprius potest assistere matrimonio unius potest etiam assistere matrimonio alterius cum illo contrahentis, arg. I. *Si commune.* 10. ff. *Quemadmodum servit. amitt.*

57. *Potest tamen quivis assistere etiam in alterius parochia.* — Quod intellige non tantum, quando nuptiae celebrantur in parochia illius parochi, qui assistit, sed etiam, si celebrantur in parochia alterius parochi, ita, ut quamvis ordinarie assistat parochus ille, in cuius parochia celebrantur, tamen etiam parochus sponsæ v. g. possit assistere matrimonio, quod contrahitur in parochia sponsi, prout etiam a sacra Congregatione declaratum refert Fagnanus in c. *Quod nobis*, h. t. n. 33, tum quia matrimonium est jurisdictionis voluntariae; tum quia concilium Tridentinum de loco nihil expressit, sed tantum statuit, ut proprius parochus assistat, de quo adhuc infra n. 65 et seqq.

58. *Debet esse parochus domicili habitacionis, vel quasi talis, et non originis.* — Tertia pars, quod requiratur parochus habitacionis,

seu domicilii, vel quasi talis, et non sufficiat parochus originis, nisi sit etiam habitacionis, docetur a Sanchez, lib. VII, disp. 23, n. 7; Bosco, loc. cit., concl. 11, n. 388 et seqq.; Perez, de Matrim., disp. 40, sect. 2, n. 1; Gobath, tract. IX, casu 18, n. 486 et alii communiter. Ratio est, quia concilium Tridentinum requirit proprium parochum; hic autem est parochus habitacionis seu domicilii; utpote ratione ejus quis parochianus est, et dicitur, per dicta, lib. III, tit. XXIX, de Parochis, n. 40. Accedit, quod proprius parochus sit ille, a quo quis alia sacramenta v. g. pœnitentia recipit; et qui alteri dare potest licentiam, ad eadem suis parochianis administranda, c. *Omnis utriusque sexus de Pœnitent. et Remiss.* sed talis est parochus domicilii; ergo. Unde etiam portio canonica, quæ est debitum parochiale, non datur parocho originis, sed domicilii, arg. c. *Cum quis.* II, § *Cum ab eo de Sepult.* in 6. Accedit declaratio cardinalium, quam refert Bosco, loc. cit., n. 400, sequentis tenoris: « Proprius parochus est, in cuius parochia contrahentes habitant tempore, quo matrimonium contrahitur. »

59. *Solvitur objectio: domicilium originis nunquam mutatur, bene vere habitacionis.* — Dices: domicilium originis potentius ac fortius est quam habitacionis; cum illud nunquam amittatur, l. *Assumptio.* 17. ff. de *Municip.* et l. *Origine.* 4, C. de *Municip.* sed cum ipso habitacionis domicilio retineatur l. *Senatores.* 11, C. de *Senat.*; domicilium habitacionis vero pro libitu mutari et amitti potest, l. *Domicilium.* ff. ad *Municip.* ergo etiam parochus originis valide assistere potest matrimonio; præsertim, quia ei, qui duo domicilia habet, ejusvis domicilii parochus assistere valeat. Resp. concessio ant. negando conseq. quia concilium expresse requirit proprium parochum, hic autem juxta numerum, præced. dicta est parochus domicilii habitacionis.

Nec refert, quod etiam locus originis vocetur domicilium, saltem originis; nam contra est, quod in dubio nomine domicilii veniat domicilium habitacionis. Sanchez, loc. cit., arg. c. *statutum.* 11, § *Cum vero de Rescript.* in 6, et ibi *Glossa* & *Utinam dictam*, Anchoranus, n. 4 et alii, ut proin, licet, si quis duo habeat domicilia habitacionis, a quovis horum parocho conjungi valeat; tamen a parocho originis id fieri nequit; quia, ut supponitur, proprius parochus sponsi non

§ II. DE NECESSARIA AD MATRIMONIUM PRÆSENTIA PAROCHI, ETC. 405

est; quod tamen juxta concilium Tridentinum requiritur.

Quod autem ordo ab episcopo domicilii originis conferri valeat, specialis dispositio juris est, quæ ad matrimonium extendi non potest, præsertim cum nec ad alia sacramenta pœnitentia v. g. eucharistia, etc., extendatur.

60. *Domicilium habitacionis proprium, vel quasi tale, quis dicatur habere?* Potest acquiri unicodie. — Cæterum quinam dicatur habere verum, vel quasi domicilium, vide lib. II, tit. II, de *Foro compet.*, § 2, solum adde, quod sicut ad acquirendum verum domicilium sufficiat unius diei habitatio cum animo ibidem constante permanendi, juxta dicta et probata, loc. cit., ita etiam ad acquirendum quasi domicilium sufficiat una aut altera dies cum animo ibidem habitandi per majorem anni partem, quod loc. cit., ad finem jam adduximus, et tenet Bosco, cit., disp. 11, sect. 9, concl. 11, n. 406; Sanchez, lib. III, disp. 23, n. 12 et 14; Gutierrez, de Matrim., disp. 63, n. 19, favetque declaratio cardinalium apud Bosco, loc. cit., Farinac., in *Novissimis ad concil. Trident.*, sess. 24, cap. 1, n. 2, illis verbis: « Quando matrimonium contrahitur inter duos alienigenas, et a parvo tempore in aliquo loco habitantes, qui tamen sint cogniti, et non comprehensi inter vagabundos, proprius eorum parochus esse intelligitur, in cuius parochia habitant eo tempore, quo matrimonium contrahunt. » Ratio est, quia non appetat, cur quis possit acquirere verum domicilium per unum diem cum animo ibidem perpetuo manendi, et non quasi domicilium per unum diem cum animo per majorem saltem anni partem ibidem manendi, quod temporis spatium pro quasi domicilio requiritur, juxta dicta lib. II, tit. II, § 2, n. 22.

61. *Studiosi, famuli, conductitii, etc., habent quasi domicilium, et proprium parochum ibi, ubi sunt debentque ibi copulari.* — Inferitur, studiosos in loco studii, famulos mercenarios, et alios, qui per majorem anni partem alicubi morari intendunt, licet perpetuo ibidem manere non cogitent, primo statim die effici parochianos, posseque et debere parochum talis loci, illorum matrimonio assistere; eo quod primo statim die quasi domicilium acquirant juxta dicta num. præced. et lib. II, tit. II, § 2, n. 23. Idem est de illis, qui tempore pestis, belli longius duraturi in aliquem locum confugint animo ibidem per-

manendi, quandiu bellum, aut pestis duraverit. Secus autem res se habet in illis, qui tantum recreationis, peregrinationis, aut negotii breviter expediendi causa, in aliquem locum se conferunt; quia cum hi animum non habeant, per majorem anni partem ibidem permanendi, consequenter nec domicilium habitacionis, nec quasi tale acquirant, veri parochiani in tali loco non sunt, nec parochus talis loci matrimonio eorum assistere potest, textu claro c. Is, qui fidem de *Sepult.* in 6, quæ omnia amplius deducta vide apud Sanchez, loc. cit., n. 12, et Gutierrez, loc. cit.

62. *Nisi tale domicilium deserant, et ad aliud se conferant.* — Quibus non obstantibus, possunt hi omnes etiam in loco originis, aut in alio loco, assistente talis loci parocho, matrimonium contrahere, si volunt, dummodo illud, quod de facto habent, quasi domicilium deferant (uti juxta omnes quivis potest, arg. I. *Domicilium.* ff. *Municip.*) et ad alium locum, animo ibidem vel perpetuo, vel per majorem anni partem morandi, conferant, consequenter aliud domicilium habitacionis, sique alium parochum acquirant. Secus foret, si quasi domicilium non deserere, sed statim redire intendent, in originis, aut alio loco contrahere vellent; hoc enim in casu, cum prius domicilium non amittant, nec novum acquirant, a nullo alio, quam prioris illius quasi domicilii parocho copulari valent.

63. *Proprius parochus alterutrius sponsi in quovis loco et parochia valida assistit matrimonio.* — Resp. II. Proprius ratione veri, vel quasi domicilii parochus alterutrius sponsi valide assistit ejus matrimonio in quocunque loco, aut parochia, etiam tali, in qua nec sponsus, nec sponsa parochiani sunt. Sanchez, de Matrim., lib. III, disp. 19, n. 14; Bosco, loc. cit., disp. 11; Pirhing, h. t. n. 15; Perez, de Matrim., disp. 40, sect. 2, n. 7; Coninck, disp. 26, dub. 2, n. 22; Hurtado, de Matrim., disp. 5, n. 22; Castro Palao, de Sponsal., disp. 2, punc. 13, § 9, n. 3; Gutierrez, de Matrim., cap. LXII, n. 5, cum communi aliorum contra Pontium, lib. V, de Matrim., cap. XVI, n. 4. Ratio est, quia, ut supra n. 57, jam dictum, concilium Tridentinum ad valorem matrimonii tantum requirit, ut in præsentia proprii parochi fiat, non vero, ut in propria parochia fiat, eo quod per solam assistentiam, ubicumque tandem matrimonium celebretur, jam non

videatur clandestinum matrimonium, adeoque finis concilii Tridentini habeatur.

64. *Proponuntur, et solvuntur instantiae, præsertim in declarationibus cardinalium.* — Dices : Nemo potest extra territorium proprium exercere jurisdictionem, arg. fin. de *Constit.* in 6, ibi : « Extra territorium jus diventi impune non paretur. » Et in specie parochis prohibitum est, ut nullus alterius parochia terminos aut jam invadat, sed sit unusquisque suis terminis contentus, et taliter ecclesiam, et plebem sibi commissam custodiat, » ut dicitur can. 1, c. 13, q. 1. Accedunt plures declarationes cardinalium, quas refert Pontius, loc. cit., n. 4, quarum una ad interrogationem episcopi Brugnatensis data, ita decernit : « Ut si quando vir ad domum uxoris accedit pro contrabendo et consummando matrimonio, is proprius parochus sit, qui uxor is, et illis benedictionem sacerdotalem dare poterit de jure. Altera sic sonat : Ut proprius parochus sit, qui uxor parochus est, si in domo uxoris contrahitur, vel in ejus parochia, ut supra in una Brugnatensi benedicere sponsos debeat, non obstante quacunque consuetudine contraria etiam immemoriali. Ex quibus Pontius inferit, semper debere illum parochum assistere, in cuius parochia matrimonium contrahitur.

Ad has instantias, et quidem ad c. fin. de *Constit.* in 6, respondetur, illud loqui de jurisdictione necessaria et contentiosa, consequenter non procedere de assistentia parochi, utpote quæ vel omnino non est exercitum, aut actus jurisdictionis, sed nudus actus testis qualificati cum aliis testibus assistentis matrimonio : vel est actus jurisdictionis non contentiosæ, aut necessariæ, sed voluntariæ, quæ etiam extra territorium exerceri potest, arg. I. 2, ff. de *Offic. process.* Ad can. 1, c. 13, q. 1, respondetur, per illum ad summum probari, quod illicitum sit parochio assistere matrimonio in aliena parochia cum solemnitate, quod ipsi met infra dicemus.

Ad declarationes cardinalium respondeatur, per eas tantum probari, quod parochus proprius sponsorum in aliena parochia non possit eorum matrimonio solemnii, id est, quod celebratur in ecclesia cum consuetis solemnitatibus, præsertim cum benedictione sacerdotali, assistere, quia ista cum quodam quasi strepitū judicario fiunt, prout bene respondet Sanchez, loc. cit. n. 19; Bosco,

loc. cit. n. 478, et ipsæmet indicant declarationes allegatae, utpote in quibus expresse fit mentio de benedictione sacerdotali.

Quod si contendas, illas etiam contra valorem sonare, respondetur eas esse correctas ab alia subsequenti declaratione recentiori, prout testatur Fagnanus, in c. *Quod nobis*, h. t. n. 33, addens sanctissimum vnuisse, quod ita etiam in posterum responderunt.

65. *Etiam licite in aliena parochia assistere sine solemnitate et benedictione.* — Resp. III. Etiam licite in quovis loco aut parochia parochus alterutrius sponsi privatim, et absque pompa, benedictioneque publica matrimonio assistere potest, Sanchez, lib. III, disp. 19, n. 48; Castro Palao, loc. cit. disp. 2, punc. 13, § 9, n. 5; Perez, de *Matrim.* disp. 40, sect. 2, n. 7; Gutierrez, de *Matrim.* cap. LXII, n. 6; Bosco, loc. cit. concl. 13, n. 11, contra Pontium, lib. V, cap. XVI, n. 11. Ratio est, quia nullo jure talis assistentia est prohibita, si fiat sine solemnitate publica; hæc enim cum importet aliquem quasi strepitum judicarium, in alieno territorio exerceri nequit, ut bene advertunt doctores citati, arg. c. *Ut animarum de Constit.* in 6, et can. 1, c. 13, q. 1, quia tamen benedictionem necessaria conjuncta non est matrimonio, eidem in aliena parochia bene assistere potest parochus; Palao, loc. cit.

66. *De jure communi, secus est de speciali statuto diœcesium, præsertim Frisingensis.* — Dicitur autem notanter de *Jure*; quia in plurisque diœcesibus speciale habetur statutum, ut matrimonia non nisi in ecclesia cum benedictione celebrentur, ut in Frisingensi, prout patet ex ritual. p. I, c. 9, memb. 1, n. 4, contra quod, si absque licentia ordinarii parochus ageret, utique erraret, et puniri posset, nisi aliud obtinuissest consuetudo, prout etiam dictum rituale Frisingense ibidem expresse limitat.

67. *Doctrina practica ad propositum.* — Infertur : validum quidem esse matrimonium, quod Frisingenses non tantum in aliena parochia, sed et aliena diœcesi Oettinge v. g. vel Augustæ contrahunt, si sibi assistentem habeat proprium parochum, vel etiam alium sacerdotem de licentia parochi, aut ordinarii, juxta dicta infra n. 80. Non posse tamen dictum parochum matrimonio horum solemniter, in ecclesia nempe assistere cum consuetis solemnitatibus, nec illud benedicere, sed debere copulationem facere

§ II. DE NECESSARIA AD MATRIMONIUM PRÆSENTIA PAROCHI, ETC. 407

in domo aut loco privato; quamvis si publice fieret, adhuc subsisteret; etsi tam parochus ita assistens, quam contrahentes peccarent, et tanquam transgressores legis puniri possent. Imo etiamsi in domo privata sine licentia ordinarii assistat, errat, et puniri potest, non quidem de jure communi, sed ex præscripto ritualis.

68. *Benedictio nuptialis in ecclesia danda est de præcepto leviter obligante : et quando dari debeat?* — Dices : Matrimonium non potest licite contrahiri sine benedictione nuptiali in ecclesia danda, utpote quæ est de præcepto saltem leviter obligante, ut docet Sanchez, lib. VII, disp. 82, n. 6; Gutierrez, cap. cv, n. 406, et alii communiter, arg. can. 1, 2 et 3, caus. 30, q. 5, juncto concilio Tridentino, loc. cit.; ergo etiam de jure communi parochus in aliena parochia assistere nequit, hoc ipso quod in aliena parochia benedictionem hanc dare non possit, prout fatentur omnes. Resp. distinguendo Ant. benedictio nuptialis est de præcepto, ita ut statim ac contrahitur matrimonium, dari debeat, negatur: ita ut suo tempore conferatur (prout loquitur can. 1, caus. 30, q. 5) conceditur Ant. et negatur consequentia. Hortatur tamen concilium Tridentinum, sess. 24, de *Reform. matrim.* cap. 1: « Ut ante benedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam, in eadem domo non cohabitent conjuges. » Quibus verbis aperte indicat, fieri posse matrimonium, quin statim benedictio conferatur.

69. *De jure communi etiam in domo privata licite contrahitur matrimonium; secus est in diœcesi Frisingensi.* — Infertur II. De jure communi licitum esse, matrimonium etiam in domo privata multo magis in portico ecclesiæ contrahere; cum enim juxta dicta n. 63, et n. 65, possit parochus licite matrimonio assistere in aliena parochia, in hac autem assistere nequeat publice in ecclesiæ, neque benedictionem impetriri juxta dicta n. 64, et seq. necessario assistere debet in domo privata, consequenter licitum erit, in domo privata contrahere, de jure communi. In diœcesi tamen Frisingensi, ex præscripto ritualis in ecclesia contrahi, et benedici debet matrimonium, excepta rationabili locorum consuetudine, prout expresse ibidem addit, ex quo manifeste liquet, consuetudine fieri posse, ut in portico ecclesiæ contrahatur matrimonium; præsertim cum id de jure communi sit licitum juxta dicta,

nec causa irrationalitatis contra talem consuetudinem allegari possit per ea, quæ lib. I, tit. IV, § 2 et 3, dicta sunt.

70. *Parochus matrimonio assistens, non necessario debet esse sacerdos.* — Resp. IV. Parochus matrimonio valide ac licite assistit, etsi nondum sit sacerdos. Sanchez, lib. III, disp. 20, a. n. 3; Pontius, lib. V, cap. xvii, n. 4; Bosco, loc. cit. concl. 8; Gutierrez, de *Matrim.* cap. lxii, n. 16, cum communis aliorum, contra nonnullos a Sanchez citatos. Ratio est, quia concilium Tridentinum, sess. 24, de *Reform. matrim.* cap. 1, tantum requirit, ut assistat parochus; atque talis esse potest etiam non sacerdos, dummodo ad ecclesiam parochiale sit assumptus, c. *Licet canon.* et c. *Statutum de Elect.* in 6, qui proin ea, quæ a potestate ordinis sacerdotalis non dependent, bene exercere valet. Accedit declaratio cardinalium, quam pro conclusione afferunt doctores citati.

71. *Bene vero ille, qui ex delegatione assistit.* Alius dictio est repetitiva similium. — Dices : ille, cui delegatur assistendi potestas, non potest esse alius quam sacerdos, juxta communissimam, arg. cit. *Concil. Trident.* ibi : « Vel alio sacerdote de licentia ipsius parochi : ergo etiam ipse parochus debet esse sacerdos; præsertim, quia particula alius est relativa et repetitiva similium, arg. 1. Si fugitiui, c. de *Servis fugitiiv.* juncta Glossa final. ibid. Resp. concessu aut. negando conseq. quia præterquam quod dictio alius non semper sit repetitiva similium (uti patet ex illo Lucæ 23: « Ducebantur et alii duo nequam cum eo, » id est, cum Christo, quem tamen nequam fuisse, nullatenus sequitur) concilium ibi terminum alio adhucuit; quia parochi ordinarie solent esse sacerdotes. Quandonam autem dictio alius non sit repetitiva similium, desumitur ex aliis juribus id declarantibus, vel quando subjecta materia, aut ratio id suadet, uti in præsenti.

72. *Valide, non item licite assistit matrimonio parochus, cui administratio sacramentorum, et assistentia fuit prohibita.* — Resp. V. Etiam ille parochus, cui vel ob imperitiam, vel in pœnam delicti administratio sacramentorum, et specialiter assistentia matrimonialis ab episcopo interdicta est, valide matrimonio assistit, Fagnanus, in c. *Litteræ quas de matrim. contra interdict. Eccles.* n. 5, et seq. id tate probans Bosco, cit. disp. 41, sect. 9, concl. 9, a. n. 335; Sanchez, lib. III,